Quelle: http://manuscripta.at/?ID=9001
Copyright: Melk, Benediktinerstift

172.

Reformacio huius Mon. facta est isto modo.

Dominus Nicolaus visitator et reformator huius mon. per commissitatores apostolica auctoritate in Abbatem
prefectus natione Australis prius in Sacro Specu Sancti Benedicti pluribus annis. et quoddam aliud
mon. videlicet Sancte Anne prope Neapolim Prior. rexit. Qui ad petitionem domini Alberti V. ducis Austrie
impetrata a domino Martino papa V. super hoc littera tempore Concilii Constantiensis cum aliis quinque eiusdem
Sacri mon. Specus monachis professis. videlicet fratribus. Antonio de Catalonia. Mathia de prussia
Nicolao de Respitz de Austria. Petro de Bavaria et Petro de Austria. cum quodam alio fratre
Caspare de Gersten professo ibidem. defuncto. mon. Mellicensi per dominos visitatores auctoritate apostolica
deputatos. incorporati sunt. prefecto in abbatem predicto magistro Nicolao de Matzen de Austria
de anno domini Millesimo. cccc. xviii. domino Johanne Fleming sponte renunciante et locum
pro institutione vite regularis dante. assignata sibi certa annua porcione pro stipendio vite sue
de bonis mon. frater vero Nicolaus de Respitz de Austria predictus eadem visitatorum pro reformatione
mon. S. marie Scotorum Wienne in Abbatem ibidem prefectus est. de gremio mon. Mellicensis assumptus.
Et notandum quod divina disponente providentia dominus papa Martinus V. postquam dominus Albertus
dux impetraverat iam in suo dominio plenam visitationem prefati mon. Mellicensis et aliorum sancti
Benedicti et sancti Augustini ordinum. iam quoque similiter obtinuisset ab eodem concedi sibi prefatum magistrum
Nicolaum cum monachis predictis de Specu professis. antequam idem dominus Nicolaus de Constantia
recederet vocatus per dominum papam ut benedictionem pro itinere agendo reciperet. proprio motu
preveniens videlicet in futurum periculosam monachorum ad Romanam sedem divagationem. concessit
ipsi domino Nicolao plenam auctoritatem quousque adviveret nos sex fratres prefatos. et omnes
alios in regulari observantia sibi sociandos etiam tempore novitiatus. absolvendi ab omnibus
peccatis. nullo excepto et dispensandi in omnibus casibus et habilitandi ad omnia sicut
ipsemet papa et romana sedes facere possent. Et cum id dominus Nicolaus diceret. o
pater sancte quia nimis est. Saltem aliquos casus reservate vobis. Respondit papa non volo.
pro eo quod plene in tua consciencia quiesco et de te confido et pono meam conscienciam in
tuam. et spero quod bene facies et viriliter ages pro ordinis reformatione. Item eadem hora
petente eodem domino Nicolao dominus papa concessit tam sibi quam illis sex quod quilibet
pro una vice eligere sibi possit unum confessorem. qui absolvat ipsum in omnibus casibus
ab omnibus peccatis. et dispenset et habilitet. ut supra.

Sicque dominus papa data benedictione sibi et alteri fratri qui cum eo tunc aderat qui etiam hec
vidit et scripsit cum osculo oris. manuum ac pedum suorum dimisit nos. Facta
sunt hec in die Conversionis sancti Pauli apostoli de anno domini M. cccc. xviii°.
in palatio episcopali Constantiensi. Veniens itaque dictus dominus Nicolaus ad ducem
Austrie cum tribus suis predictis et inchoata visitatione predicta in primis mon. Mellicensis
ibidem in Abbatem sicut supra dictum fuit prefectus est eodem anno in die sanctorum processi
et Martiniani. additi quoque sunt fratres in eodem mon. infrascripti a tempore illo videlicet.
post vacatam monachorum priorum Conventus dispersionem regularem observanciam subire nolencium.
quorum etiam nomina taceo. eorum tamen nomina ponens qui fuerunt presens annus videlicet M. cccc. xx. inveniuntur in mon.